

Leben des Mönches Hugo von Thennebach.

71

cum Effraym dextre benedicionem, sed sinistre cum Manasse * ideoque elongabitur ab eo, cum dicetur, huiusmodi homini in futuro. Fallax equus idest superbus ad salutem, quam sibi promittebat, in habundancia autem uirtutis sue saluabitur, quia deus superbis restitit, humilibus autem dat gratiam ** in presenti et gloriam in futuro.

18. Idem frater Hugo totum se obediencie subiecit et immo diuersis officijs deputatus, quantum ualuit, non solum fratribus erat obsequiosus, immo, quod plus est, pauperibus et mendicantibus quasi misericordiae uisceribus habundabat, pio furto subuenire in summa necessitate non cessabat. Solebat enim illud continue ruminare: date et dabitur nobis***, et illud sapientis dictum: non sit manus tua porrecta ad accipiendum et ad dandum contracta †, maluit deo potius rationem reddere de misericordia, quam de austeritate et de parcitate. Accidit igitur, ut quodam tempore preficeretur pistrino, ubi frumento et panibus sibi commendatis in tantum dicitur extendisse manus ad inopes, erat enim interim caristia, ut de largitate atque prodigalitate panum atque frumenti apud cellerarium maiorem, qui in huiusmodi necessarijs monasterio prouidere debebat, grauius accusaretur; qui timens magnas monasterij expensas, pecunia comparandas, quam sibi deesse sciebat, non solum causabatur defectus presentes se obligari nomine monasterij ad exactiones usurarum, per huiusmodi incuriam officialium animo concitatus asserebat. Cellerarius itaque currens ad abbatem Rudolfum, uirum satis religiosum, quia tunc temporis annis XXX^a et amplius ipsum monasterium nobiliter regebat, domine, inquit, amona, que debebat nobis ad annum sufficere, plene omnibus fideliter computatis, adeo diminuta uidetur, ut mente consternatus consilij et auxilij inops, quid agere debeam, penitus ignorem, presertim cum solito carius frumentum uendatur, nec mutuo illud accipiendum sperare possimus, quod hactenus in bono foro copiose recepissemus. Abbas hoc audiens cum ammiracione pariter et indignacione ait: et unde ista negligencia, et quis potest esse in culpa? Cellerarius respondit: nisi frater Hugo ammoueat de pistrino, cuius cure substantia monasterij inutiliter commissa uidetur, quia largas et indebitas faciens elemosinas de crastino curare non appetit, quod tante multitudini fratrum, pro quibus sollicitamur, minime expedire poterit. Quid plura? Diuine pietatis imitator et non surdus auditor ewange-

* Gen. 48, 18. 14. ** Jacob. 4, 6. *** Luc. 6, 38. † Ecclesiastic. 4, 36.

lice parabole de uillico iniquo, ubi dominus concludens omnibus consuluit: facite, inquit, uobis amicos de mammona iniquitatis*, id est de bonis temporalibus inequaliter possessis, ut, cum defeceritis, recipiant uos in eterna tabernacula, miserorum subsidia, priuatus officio magis indoluit quam solacia sue libertatis, que nequam quesuit**.

19. Substituto igitur sibi alio, satis sollicito fratre, ad similitudinem illius sentencie, que scribitur de soluentibus decimas negligenter in qua sic dicitur, hic tollit fiscus, quod non accipit Christus, singulis septimanis licet plus solito pauperes negligenter, increuerunt expense monasterij in tantum, ut conuersi artis pistorie abbati suggererent, ut illum bonum hominem officio restitueret, asserentes, omni septimana se considerasse post eius absolucionem clybanum unum plenum panibus in pistando super creuisse. Restitutus igitur in gradum pristinum, pistorum magister, non Pharaonis, qui suspensionis penam demeruit, sed saluatoris nostri Ihesu Christi, cuius minister fidelis fuit, ad instar enim Joseph pauperibus subueniens semper habundabat, quia benedixit dominus operibus manuum suarum et ideo acceptus erat abbati et fratribus suis, deum in omnibus glorificantibus, qui eius opera prospere dirigebat. Ruth Moabitibus quondam sequens messores Booz ad colligendas spicas post terga metentium agrum ipsius, recepit ab eo in mandatis: quando hora uescendi fuerit, ueni huc et comede panem et intinge buccellam tuam in aceto***. Hec omnia, que de officina ueteris testamenti proferimus, in figura credimus precessisse. Nouissime igitur diebus istis figura hec impleta uidetur. Quid enim Ruth, nisi beatam uirginem, quid Booz, nisi patrem familias, deum omnipotentem, quid messores, nisi deo seruientes, quid ager, nisi religionem, studio discipline celestis exultam, significat? Ut ergo regis secretum abscondere, bonum est, sic opera dei reuelare et confiteri, honorificum est. Attendunt igitur, qui dominum laudare desiderant, qualiter precedentia sequentibus mystice concordare uidentur.

20. Accidit enim tempore quodam, ut in monasterio, quod dicitur Porta celi, uulgariter uero Tennibach, ordinis Cysterciensis, fratres loci illius in feria sexta durissimo cibo absque omni condimento olei uel alterius liquoris uescerentur et uino minus saporoso uel

* Luc. 16, 9. ** Was in diesem Kapitel erzählt wird, gehört in das Jahr 1256, in welchem nach den Annalen von Colmar eine Hungernoth war. Damit stimmt die unten folgende Urkunde v. 1251 überein, worin der Klosterkeller und nach ihm Hugo erwähnt sind. *** Ruth 2, 14.